



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 29. Difficultates a Granatensi Archiepiscopo contra hoc decretum
propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.
nem excitentur, & convertantur: omnibus enim charitatis officiis Sancta Synodus eos, ut invitat, ita complectetur.

Insuper eadem Sancta Synodus decrevit, fidem publicam in Congregatione Generali concedi posse, & eandem vim habituram, ejusdemque roboris, & momenti futuram, ac si in publica Sessione data, & decreta fuisset.

Postmodum indicta Sessione proxima idem Præsul, qui prius decretum recitaverat, sequens quoque prælegit: Eadem Sacrosancta Synodus Tridentina, in Spiritu Sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, statuit, & decrevit, proximam futuram Sessionem habendam, & celebrandam esse feria quinta post Sacratissimum festum Ascensionis Domini, quæ erit die decima quarta Mensis Maij.

§. XXIX.

Difficultates a Granatensi Archiepiscopo contra hoc decretum propositæ.

Pallav. c. 21.
num. 3.
Utrumque hoc decretum ab omnibus fuit approbatum, excepto Archiepiscopo Granatensi, qui solus inter Hispanos veterem de Synodi titulo cavillationem innovabat, hæc verba adjici postulans: Universam Ecclesiam representans, prout in recentioribus Conciliis fuisset

fuiſſet uſurpatum: porro inter illos, qui hoc decretum ratum habebant duo, vel tres inueniebantur, qui ſuum ſuffragium quibusdam levis omnino momenti conditionibus temperare ſatagebant, & quidem Jacobus Gilbertus Noguera Hiſpanus, Alliphæ in Terra-Laboris Episcopus obſiſtebat illis decreti verbis, in quibus dictum: *Catholicæ fidei doctrinam multorum inter ſe diſſidentium opinionibus inquinatam fuiſſe.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Circa alterum decretum, quo Sessio proxima ad decimam quartam Maij diem indicebatur, duodecim Episcopi ferme omnes, aut Hiſpani, aut Luſitani contendebant, adjecta clauſula eſſe declarandum, quibus negotiis Synodi Patres per trimestre, quod uſque ad Sessionem interfluit, intenti eſſe deberent, ne illis objici poſſet, quod otio, ac voluptatibus tabeſcentes Tridenti hæſiſſent, quam ob rem quorundam erat opinio, quod interea utilia proponantur ſtatuta circa morum emendationem: porro ſolus Joannes Beroaldus Panormitanus ad Sanctam Agatham Episcopus porrecto Patribus libello, ne Sessionem tamdiu differrent, rogabat, demonſtrans, quod tanta mora nullatenus ad revocandos hæreticos conducatur, plurimum vero Catholicis noceat.

Hiſt. Eccleſ. Tom. XLIV. C c Ve

Sæcul. XVI. Verum his rationibus flocci habitis Legati sessione finita discesserunt.
A.C. 1562.

§. XXX.

*Publicæ securitatis literæ Galliarum
 Reginae jussu immutatæ.*

*Pallav. l. 16.
 6. 3. n. 8.*

His ita peractis unica Patrum sollicitudo eo erat intenta, ut promissæ securitatis literæ conficerentur, quarum norma jam ineunte Mense Januario ad Ferrariensem Cardinalem Franciæ Legatum fuerat transmissa, ut Regi, ejusque Matri Reginae exhiberentur, eorumque consensus desuper exquireretur: cum autem Cardinalis ob podagræ dolores lecto affixus hæreret, hinc datis ad Reginam literis hoc diploma misit, ut illud examinari juberet, quæ etiam elapsis aliquot diebus eundem Cardinalem visum ibat, significans, quod in datæ securitatis literis clausulam hanc illis insertam, *dummodo ipsimet ex corde redeant, ac resipiscant*, minus ratam haberet, eoquod ex his verbis inferri videretur, de securitate cautum non esse illis, qui disputandi, aut doctrinæ suæ rationem reddendi animo Tridentum venirent: verum Cardinalis Reginae fidem fecerat, Pontificis animum esse, quod Synodus plena libertate gauderet, omnibusque suas difficultates proponendi facultas daretur, ac proin, cum
 cunctis